

ret: non quia dominamur fidei vestrae, sed adjuutores sumus gaudii vestri. Atque illico adjunxit: fide enim statis. Ac si id quod protulerat aperiret, dicens: ideo non dominamur fidei vestrae, quia fide statis; aequales enim vobis sumus in quo vos stare cognoscimus. Quasi praelatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: facti sumus parvuli in medio vestrum. Et rursus: nos autem servos vestros per Christum. Sed cum culpam quae corrigi debuisset invenit, illico magistrum se esse recoluit, dicens: quid vultis? In virga veniam ad vos.

Summus itaque locus bene regitur, cum is qui praeest, vitiis potius, quam fratribus dominatur. Sed cum delinquentes subditos praepositi corrigunt, restat necesse est, ut sollicitate attendant, quatenus per disciplinae debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam aequales se ipsis fratribus, qui corriguntur, agnoscant: quamvis plerumque etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione praeferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinae vigore feriuntur, in his vero quae ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus. Disciplina autem nostra subditos divino iudicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda itaque est et in corde humilitas, et in opere disciplina. Atque inter haec solerter intuendum est, ne dum immoderatus custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis: et dum praelatus quisque plus se quam decet dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinae vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exterius quod pro aliorum utilitate suscipiunt: servant interius quod de sua aestimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subjecti deprehendant: quatenus et in auctoritate eorum quod formident videant, et de humilitate